34-6-G-21

37

CARMEN GENETHLIACVM PRO SERENISSIMI HISPANIARVM PRINCIPIS CAROLI PHILIPPI ORTV FELICISSIMO

Dictum in aula Collegij Romani Soc. Iesu.

AVCTORE

Octauio Cattaneo eiusdem Societatis.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,

Typis Ignatij de Lazaris. M. DC. LXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. LVDOVICO GVZMAN PONCE DE LEON

Catholici Regis apud Alexandrum VII. Pont. O. M. Oratori: Mediolani Gubernatori: Hispanorum militum pro Regij Corporis Custodià Præfecto: Et aurea cubiculi Regij claue insignito.



Egum felicitas E.P. inter priuatæ domus angustias continere se nescit, sed fluminis in morem plenas trahentis aquas, viuoque gurgite exundantis, in populorum plausum, & in publicam redundat fælicitatem. Serenissimi Hispaniarum Principis ortus, munus plane cæleste, quantà vniuersum terrorũ Orbem lætitià inundauerit, testis est, Mundi compendium, Roma, quæ Regio Infanti productum æuum ominatura, noctem augustà radiorum pompà cum die ipso de luce dimicantem conspicata, in Phœnicis exortu suis è cineribus vitam fæliciorem trahentis, Regiam Austriadum stirpem nouo sobolescentem germine, & æuo sempiterno fruituram obseruauit. Meam licet tenuissimam musam animauit ad carmen, tanti Orientis in Occidente solis aspectus, cuius è beneficis radijs non nihil lucis in mentis meæ tenebras sentio fuisse deriuatum. Maximum scilicet Principem laudasse, magna fuit laudantis virtus, per argumenti maiestatem vatis tenuitate subleuatà. Id mihi percommodè cessit in Auditorum nobilissima coronà Regium Ortum celebranti, Tuis præsertim sub auspicijs, Excellentissime Prin-

ceps, qui eâ, quâ tantum tanti Regis Oratorem decebat benignitate, meum per humaniter carmen excepisti in Catholicæ Maiestatis laudes profusum. Intuebar enim verò Tuo in aspectu animatum Philippi Hispaniarum Regis simulacrum, cuius personam tantà, & adeò exaggeratà sustines dignitate, in Romæ conspectu, vt omnes Populi, omnes Prouinciæ te cupiant Moderatorem, Mediolanensis certè ditio maximo lætitiæ sensu perfundatur, Tuis proximè Imperijs administranda. Angusta fuit Virtutibus Tuis aula Romana, omnium Augustissima, ad cæteras igitur Italiæ partes euocaris, magna vbique Hispanæ Prudentiæ semina iacturus, quæ in spem maximam Hispanæ Diminationis germinabunt. Tantas tamen Virtutes, tantam excelsæ mentis maiestatem videris superare, dum Fortunæ amplitudo nihil de Tui vultus serenitate delibat, fronte quippe ad hilaritatem compositâ omnibus accedis iucundus, & aureis Regiæ planè humanitatis vinculis omnium Tibi animos demereris. Nihil igitur meæ Musæ poterat accidere gratius, quàm Te sortiri Mæcenatem, Cui se de integro in præsentia sistit, vt publicam in lucem edito carmini, Tuo è nomine, fulgentissimo veluti è Sole, aliqua gloriæ lux oboriatur. Augustum hoc munus facies Augustissimum, si Tuæ benignitatis in sinu, non modo tenuem hunc ingenij mei partum, sed etiam Me ipsum fouebis, qui Catholicæ Maiestati; cuius Tu dignitatem sustines, exiguum obsequium præsto debitæ seruitutis.

Obsequentiss. Excell. Tuæ famulus

Octauius Cattaneus è Soc. Iesu.



IN PRINCIPIS HISPANIARVM ORTV

CARMEN GENETHLIACVM





AVSTRIADVM populi, rediuiui regna Leonis
Orbis Otomanni cladem paritura Tyramno
Plaudite naſcenti puero: genitricis ab aluo
Regius auguſtos terræ puer explicat ortus,
Soluit & incertum tanta formidine mundum.
Europæ lacrymas, funus quæ luget acerbum
Principis, abſtergit riſu, de patre Philippos
Dum trahit, & Ferdinandos è ſanguine Matris
Haurit adoratus Princeps. Sic voluitur ordo
Regnorum, variantque ſuas mortalia regum
Fata vices: vno extincto non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit germine regnum
Auſtriacæ ſobolis: lacrymarum è gurgite frontem
Exere funeream regnantum Hiſpania Mater

Quæ regis imperio populos : ſat candida rupit
Corda dolor , lacerauit & aurea viſcera luctus .
Gaudia terrarum , populorum vota, parentum
Sollicitasque preces , auguſti principis ortu
Impleuit Cœlum : Puero ſi mæſta cadenti
Regna parentarunt , orienti lęta Philippo
Regna coronato plaudant , qui naſcitur infans
Regia languentis compenſat funera fratris ,
Spemque alit Europæ , lacrimas ſolatur Iberi ,
Ornat & Hiſpanum renouato ſydere Cœlum .
Tu tamen Auſtriacus Princeps ſpes vnica terræ ,
Germen adoratæ gentis , genitoris in vlnis
Seu ludis , Matris vel ſugis ab vbere florem
Sanguinis expreſſum , ſi quid mea carmina poſſunt
Caſtalias ne temne fides . Helicona medullis
Inſpirant Muſæ , & mentem ſacer ambitus vrit
Te tenui celebrare ſono ! Romana tributum
Perſoluit laudum Pallas ; nam Principis orti
Fama Aganippæas heliconis perſonat vndas .
Dum libet audaci modulari regia plectro
Gaudia , dexter ades votis ARAGONIVS heros
Grande patrum lumen , genus alto è Sanguine regum
Ducis & illuſtras ſacrum virtutibus oſtrum
Cœlitibus carus : tu regnatoris Iberi
PONSLEO GVSMANE orator , qui ſceptra potentum
Auſtriadum , & formidati diademata Regis
Maieſtate animi tanta moderaris in Vrbe
Principe terrarum : illuſtris tu BORGIA palmis
Virgineæ Matri carum caput ; annue votis
Pieridum , Princeps ; Hiſpani lumina mundi

Ca-

Castalios laticesnostris infundite venis.

Mortis in humanæ tenerà ceruice Philippus
Tinxerat augustus falcem: post funus olimpo
Redditus, austriacos Cœlo quos aurea Virtus
Intulit heroas,astris modulantibus, auget.
Donatus superis decorauit sidere Cœlum,
Ereptusque orbi tumulauit funere terras.
Vnde Domus patriæ risus, columenque labantis
Imperij cecidit, spes intercisa parentum
Europæ lachrimæ, & gemini suspiria mundi.
Qualis in occiduo spirantes naribus ignem
Gurgite mergit equos lucis trabeatus amictu
Astrorum Princeps, nocturnis funerat vmbris
Aethera cum terris Phœbeà morte sepultis.
Nobilis Europę, quà regia stringit Iberus
Littora magnanimo fluctu, dum fama per Vrbes
Nuncia discurrit largo sua lumina fletu
Dissoluens, propter viduati littoris oram,
Regales lacerata comas, pro syrmate vestem
Quæ gerit atratam, positoque Hispania serto
Principis in fato sua luget funera; sortem
Immitem dolet, & lachrymis exaggerat vndas.
Pallor in ore sedet, dolor vrit corda, fatigat
Cura animum: vultus quantum mutatus ab illo!
Dum pax regales fortunatura coronas
Miscuit Austriacam Ludouici sanguine prolem.
Stant circum Nymphæ regnorum, iura Leonis
Regia seruantes Hispani: hic belgica Virgo
Quæ docto radio telas operosa laborat
Nunc radio posito solem lachrimata cadentem

Erudit in longum pallentia ſtamina luctum,
Gallia Phætontis, ſicanaque Doris, & amplæ
Parthenopes, Syren, ſpicis circundata flauis
Sardiniæ thetis, fuluo pretioſa metallo
India, tempeſtas cui gemmea feruet in vndis
Reginæ lachrymas, lachrymis regalibus implent.
Has inter Nimphas lachrymatur Iberia fatum
Principis Auſtriaci: regali in funere regnat
Luctus, & ingentem ſolatur voce dolorem.
Siccine flos regum; teneræ flos ille Iuuentæ
Succiſus languet? frontis decor ille Philippos
Spirantis perijt? quonam pretioſior oſtro
Purpura conceſsit vultus? demeſſuit atra
Surgentes libithina roſas, vbi cana virebant
Lilia, cum violis miſcent vaccinia luctus.
Heu rerum ſortes, terræque volubilis ordo?
Inficit vmbra genas, regnis par dextra regendis,
Frigida dextra iacet, multos dominata per annos
Stirps auguſta ruit: ſaltem vos fluminis vndæ
Quondam fęlices vndæ, dum ſceptra manebant
Principis extincti, repetunt quà flumina pontum
Vnde fluunt, atque obſequijs vndantibus ornant
Nerea, qui ſeptem gemino lauat ore Canopum
Nilus, & Heſperidum Tibris regnator aquarum,
Scaldis adhuc voluens laceris in vultibus iras
Hæreſis armatæ, quæ ſanguine inebriat enſem
Auſtriacum, & Ganges dum turbidus æſtuat auro,
Cęſareas aquilas Rhenus veneratus, & ingens
Eridanus, maris Hadriaci qui voluit arenas,
Dicite ſpem mundi, Regum langueſcere florem

Ve-

Vere nouo vitæ immatura morte recisum.
Est animus regni Princeps, sine Principe languet
Imperium, magnumque iacet sine mente Cadauer;
Ergo meus perijt Princeps, meus ille Philippus
Proh dolor! atque meo perijt cum Principe Mundus.
Talia iactabat lachrimans, cum Diua pronæa
Quæ regit humanos casus, & temperat orbem
Legibus Augustam sobolem, quæ dira subiuit
Fata, triumphantum vitali nectare diuum
Educat, Austriacis melius quà Regibus æuum
Nascitur, & superum immortalia sidera fulgent.
Fortunate puer te fata æterna manebant
Ereptus mundo, cœlo donaris: Iberis
Ereptus Regnis, felix regnabis Olimpo.
Te tantum terris monstrarunt sidera; felix
Semper at Hispanis mostrabere sidus ab astris.
Candida quà sacrum stellati semita lactis
Pandit iter, cursum maturat Diua per auras
Arbitra terrarum dulcem factura medelam
Reginæ lachrimis, quam forte vlulatibus auras
Audijt implentem, & solantem funera luctu.
Nubila prçuertit cursu. Thaumantias iris
Bellona, & pietas, flectique ignara seueræ
Iustitiæ facies, placido clementia vultu
Et charitum cœtus latus immortale coronant.
Luce triumphali, roseos hyperionis ignes
Qui diuæ per membra fluit regalis amictus
Vincit, & Augustum iactat sub nubila lumen.
Textilibus radijs vertique regique videntur
Terrarum sortes, Regnorum mobile fatum

Vrna immota tenet; quam prouida dextra gubernat
Arbitrio superum: fuluis illusa figuris
Fata micant, regale genus, moderata triumphos
Cæsareæ Hispanæque Domus, se sanguine ab vno
Quæ scindunt; nigræ furijs licet ardeat iræ
Impia Lutheri pestis, molita tumultus
Versuto cœcos animo, tamen aurea sceptra
Cęsareas Aquilas, tot iam labentibus annis
Sanguinis Austriaci moderantur stemmata: sorte
Vtitur augusta Romani à funere Regis
Regnantum soboles Leopoldus, & imperat vndis
Danubij: mixtam vomuit cum sanguine vitam
Parte alia Gustauus, votis deuorat orbem
Ore oculis ardens, supremaque fata minatur
Cæsareo sceptro, fatalis at ignea plumbi
Frangit grando caput sceleratum, & deuouet vmbris
Europæ fulmen, formidine liberat orbem.
Mors sueci martis, cursum improuisa retardat
Hostis anhelantis palmas, & sacra coronat
Arma triumphantis diro de milite regis.
Hic Ferdinandus cui seruit Iberia, prolem
Componit tumulo, quam patria Regna manebant.
Perpetuis sobolem lachrimis vrgeret ademptam
Vnica ni tumulo Fratris Ioanna superstes
Connubio stabili Burgundo iuncta dinastæ
Ederet in lucem Carolum de semine Regum,
Quem super Hispanę sortes cecidere, triumphis
Hic orbem geminum, renouatis Cladibus hostem
Prole noua regale genus, virtutibus auget
Aethera, sic Carolus lachrimarum filius aulæ
Au-

Austriacæ risum parit, & noua gaudia terris.
More triumphantum tantis pretiosa figuris
Diua laboratis circum radiata triumphis
Vertit iter quà tabificis Hispania triste
Vulnus alit venis, largoque natantia luctu
Lumina picturà pascit, dehinc voce dolorem
Mitigat erepti lachrimantis Fata Philippi.
Æthera quid lachrimis imples, queruloque fatigas
Ore triumphales vndas Hispania Regum
Obsequiosa Deo sedes? tua sceptra secundat
Sydera qui nutu torquet: patietur Olimpus
Austriacam stirpem nullo sobolescere fœtu
Principis? vt nostro mortalia fata regantur
Numine, deuotus superis regnabit Iberus.
An cadet illa domus, quam firmauere Nepotum
Cana fides pietatis amor, decus vnde superbum
Vaticana trahunt Romanę iura Thiarę.
Pone animo curas, altà mihi mente repostum
Stat regale genus, pietas quę regna Philippis
Tradidit, hęc Regnis pariet longæua Philippos.
Non capiunt geminos cœlestia sidera soles,
Nec geminos capient mortalia Regna Philippos.
Ergo coronatus regnabit in æthere primus,
Terrarum imperium reget alter, & aureus amplam
Educet sobolem, donec maturus Olimpo
Cum fratre Austriacam fortunet ab axe coronam.
Vere iacet primo Prosper, sic fata tulere
Cęca quidem mundo, sed conscia fata tonanti.
At nunquam crudæ lachesis properata bipennis
Regia surgentis secuisset stamina vitę

An-

Augusta magnę nisi regnatricis in aluo
De stirpe Austriaca, claro de sanguine Regum
Plena laborato tumuissent viscera partu.
Non huic imperij metam, nec tempora Numen
Ponit, auis atauisque potens in funera lunæ
Odrisiæ natus victo dominabitur orbe.
At ne vana putes hęc vocem fingere, tectum
Auguctum subeas, oculisque fidelibus infans
Subiectus soluet querulam formidine mentem
Vt tua sperato saturabit lnmina vultu.
Dixit & ex oculis lachrimę, de corde recessit
Cura serenato; canis ceu montibus humor
Sudat, vt ęstiuos iaculatur sirius ignes.
Pectora nectareum Regalia flumen inundat,
Viscera melle natant, siculique corallia ponti
Exornant crines, pretiosa monilia pendent
Reginę collo, fuluis quę voluit arenis
Splendida Pactoli gemmato gurgite limpha.
Ceu quando roseo ferit altos lumine montes
Phosporus, eripuit quem nox tenebrosa colorem
Accipiunt campi, redit orbi gratia, Cœlo
Spiritus, & surgunt renouat lilia culmo.
Maturant cursum, geminum quà Mantua Mundum
Carpetana regit, pariter penetrale subintrant
Austriacis grauidum palmis, vbi regia coniux
Gaudia terrarum seruat, quam Diua iacentem
Alloquitur. Suspensum solue timoribus orbem
Aurea regnatrix, populorum vota, gementis
Sollicitas mundi voces fęlicibus imple
Auspicijs, puerum trepidis da cernere terris

Æthere delapſum. Dixit cum prodijt infans
Matris ab Auguſtę gremio, lachrimiſque dolorem
Temperat Europę , diuos homineſque ſerenat
Fronte coronatà regnis : caput exerit vmbris
Ceu Phœbus, terręque parit cum lumine vitam.
Expectata venis, quà non formoſior vlla
Auſtriadum ſoboles ; Regali gratia vultu
Quanta ſedet, quantus teneris decor ardet ocellis?
Quantaque lactenti ſpirat ceruice voluptas?
Non ſic gemma nitet, radios quę iactat in auro,
Vel rubet aſsyrio veſtis medicata veneno
Gemmatis depicta notis : vt lumina paruę
Scintillant frontis, repetita per oſcula vultum
Auſtriacum libant genitor cum Matre Philippus,
Inſpirantque animam Regali Principe dignam.
Dum ſtudijs certant proceres, & lumina vultu
Principis Auguſti ſaturant; cœleſtibus vlnis
Diua regit puerum , Mundi nutantis Iberi
Subſtinet Atlantem , longum cui deſtinat ęuum,
Pollice & impreſſo vitę mortalia ducit
Stamina, que metuet pręceps abrumpere lethum.
Auſtriacos inter plauſus, & dulcia gentis
Gaudia regnantis,venientia fata recludunt
Fatidicà voce Hiſpani fundamina Regni
Religio, & ſacris Bellona ſuperba triumphis,
Queis cura incumbit tanto inſpirare Philippo
Sanguinis expreſsi cum flore, antiqua parentum
Ornamenta : prior pietas ſic ora reſoluit.
Magne puer, generoſe puer te munere diuum
Accipimus, diuum regnabis munere : Cœlum

At-

Atque tuo geminum complebis nomine Mundum
Deuotus ſuperis : pietas ęquauit Iberos
Cœlitibus reges, tanta tibi ſorte capacem
Hęc animum dabit: Hiſpanę fortuna Coronę
Imperium mercata Deo, quà barbarus Indus
Solis ab exortu nocturnas ebibit vmbras
Æthereo cœcas afflauit lumine terras.
Tot vaticanę venerantur ſceptra thiarę
Littora, quot ſubeunt Hiſpani iura Leonis.
Regnat vbique fides, partitur Iberia totum
Cum Cœlo imperium, nunquam corrupta veneno
Perfidię, crinem licet vndique nexa colubris
Tabe venenatà meliorem lęderet orbem.
Regnantum pietate ſtetit Hiſpania: ſtabit
Fortior in clades, iramque furentis auerni
Exemplis moderata tuis, virtutibus imple
Auguſtum nomen, quo ALPHONSI prima refulſit
Fama: coronatum varijs heroa triumphis
Orbis adorauit mendacia Numina ſacro
Marte fatigantem; dum regna Hiſpanica Romę
Subderet imperio, diuino thure calentes
Tolleret ad ſuperos aras, ſudataque templa
Illuſaſque auro clamydes transferret Olimpo.
Principis Auguſti mores, pietatis auitę
Grande rudimentum Illuſtres hauſere nepotes
Vnde triumphali virtus immenſa Leoni
Fluxerat. Æthereum niueo ſub cortice clauſum
Pornus adorabis Regem, pia viſcera flammę
Numinis inuoluent: incendia ſacra Rodulphus
Nutriet Auſtriacus, qui Regna nepotibus auget

Dum

Dum regnatorem mundi ſub fruge latentem
Prȩcipitatus equo veneratur, & ardet in vndis
Prȩda Dei factus deprȩdatore ferarum.
Diuinȩ cum lacte bibes genitricis amorem
Quam pia regali veneratur Iberia cultu:
Aurea magnanimi repetes exempla parentis
Cui nuper partos Virgo concepta triumphos
Debet, Alexander totum ter maximus orbem
Qui regit, Auguſti felicia vota ſecundat
Principis, atque ſuà partos pietate triumphos
Conceptȩ Mariȩ Orator largitur Iberus.
Te naſcente puer cœli Regina triumphat
Tu quoque virgineam primȩuo à crimine mentem
Immunem venerare puer: tutaberis armis
Fortior; at quando matura adoleuerit ȩtas
Ipſe tuis repetes oculis monumenta tuorum.
Occurret Carolus, lȩſi cui ſacra tonantis
Cura coquit mentem, iuſtam nec temperat iram
Donec obarmatus ferro, per tela, per hoſtes
Prȩcipitans repetat ſcelerato è ſanguine pȩnas.
Magnanimi Patris ſoboles Auguſta Philippus
Qui pius ȩquauit ferro, & pietate parentem
Hȩc ait ante ſacrà pendentis ab arbore vultum
Numinis, vt ſcopulos Erebi vorat hidra britannos,
Et multà capitum fœcunda propagine Rhenum
Vulnerat: hoc pereat ſceptrum, ne perfida Regnis
Hidra meis viuat, donec mihi ſpiritus artus
Intus alet, iuſtȩ flammis vltricibus irȩ
Extinguam capitum ſegetem. Poſt fata Philippi
Filius armatus tanti pietate parentis

Im-


Imperium tenuit, nigro ſua regna Mamete
Liberat, & vacuos lethali crimine ſoles
Innocuus ducit, caſto quem nectare paſcit
Relligio, & ſuperum blanda pro peſte voluptas.
Quantus eris formoſe puer, cum regna parentis
Auſtriacà pietate reges, & rite ſubactis
Iura dabis populis: aulà ſuccedet Iberà
Qui volet eſſe pius: tanto dominante Philippo
Roma, fides, virtus toto dominabitur orbe.
Hæc ait. At lateri quæ ſacrum accingitur enſem
Impatiens bellona moræ, ſic fata recludit.
Fœmineos animos pietas imbellis adurat,
Regnantes armata decet: qui thure vaporat
Sidera, nec ferro ſceleratum fulminat hoſtem,
Eſt impar regnis, arment pia fulmina dextram,
Quam pietas ornat: tu nunc aſſueſcere noſtris
Incipe magne puer votis, neque forma minacis
Terreat aſpectus: tibi martia pectora ſanguis
Regius inſpirat, tua paruula dextra regendo
Sufficeret gladio! Thracum iam terra videret
Feruere belligero regalem puluere martem.
Magna ſed anguſto meditaris prœlia corde,
At quandò firmata virum te fecerit ætas,
Enſe fatigabis Romani nominis hoſtem
Delphino iunctus. Complebis inhoſpita mundi
Regna cadaueribus; voluet ſub gurgite mortem
Terra colorato, gladius dum vltoris Iberi
Tranſadiget Thracum coſtas. Tu Creta tyramni
Excuties ſeruile iugum, quæ vincula collo
Inſertas, Venetum armabit Bellona Leonem

Au-

Auſtriaci Regis: prędonis ab vnguibus vrbes
Iſacidum ereptæ per te reddentur Olimpo
Magne puer, pietas tunc indefenſa reuiſet
Littora, quæ ſacro rubuerunt ſanguinis oſtro.
Voluit adhuc Libyco ſpumantes ſanguine fluctus
Æquor, & auguſto letata cadauera ferro
Deuorat; Auſtriacæ dextræ dum regia virtus
Funerat odriſiam claſsem, nigroque tepentes
Inficit oceani lacerati ſanguine fluctus.
Occumbit Tunetum, Caroli dum prælia ſentit
Hiſpani Martis, tantiſque è cladibus hoſtes
Quantus eris! repetunt trepidi; nam pectore in vno
Pectora maiorum pluſquam mauortia claudis.
Cæſaris Imperium prædo quid lumine toruo
Barbare terrarum metiris? Ibericus infans
In tua regales armabit fata Leones,
Impia falcatæ contundet cornua Lunæ.
Si tamen Auguſtum ſcelerato ſanguine ferrum
Perfidiæ tinges, palmis monumenta parentum
Proluſere tuis. Quot fortia corpora letho
Purpureus voluit Rhenus? quot belgica tellus
Fundere tabificam vidit per vulnera vitam?
Hęreſis in cladem ducit Farneſius agmem
Maior Alexandro factis, quem nomine geſtat.
Auſtriacum Martem fidei tremuere rebelles,
Sanguinis & fuſo ſaturarunt flumine ferrum
Principis experti vires: volat æneus Orbis
Vnde vomit toto cum ſanguine Orangius iras,
Et documenta dedit, quanti ſit temnere diuos
Cum rege Hiſpano: tanti veſtigia Martis

Tu generosa premes, te decertante peribit :
Luna, vel inuiso funestet lumine terram.
Auspice te, Carolo regnante, Britannicus orbis
Regia Romanę supponet Colla thiarę.
Hęc Bellona dedit: felix Hispania magni
Principis auspicijs infantem hàc voce salutat.
Viue diu regum soboles, & grande Tonantis
Munus, adoratà spiras qui fronte Philippos,
Viue diu felix: in te subnixa recumbit
Pars mundi melior: totus tibi plaudit Olimpus
O mea progenies, sanguis meus, annue votis
Italię, Europę, Mundi, qui Nestoris æuum,
Fortunam Caroli, patriæ pietatis amorem
Austriadum sobolem placidis tibi spondet ab astris.
Dixerat, & festis intermicat ignibus ęther:
Roma canit: Chisiæ gentis regnantibus astris
GALLIA DELPHINOS, Reges parit ANNA PHILIPPOS

F I N I S.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE